



Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLIII. Dispensatores torti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

aliquanto gravius exarsisse, veluti parricidas se excludi, & armatis hostibus inermes objici. Hanc seditionem volentem sanare divitem, tempus petisse non magis deliberandi, quam rogandi: & triduo illo nihil aliud egisse, quam modo singulos, modo universos rogasse: illos quoque securiores fuisse, posteaquam ex toto recessisse hostem crediderint. Rediisse autem se à bello ad iudicium, & in conscientia maximi meriti gravissimum sibi crimen objici, ut qui solus rempublicam defenderet, opprimere voluisse dicatur.

CCCLII.

Dispensatores torti.

Quidam ab inficiente petebat depositum. Dispensatores utriusque torti. Contraria dominis dixerunt: de integro lis est.

S E R M O.

Petitor necesse est infamet dispensatorem suum, & dicat ab adversario corruptum: & ea fiducia esse illum inficiatum, cum promitteret dispensator negaturum se etiam in tormentis: itaque ab adversario natum, cum lis esset, Dispensatores torqueamus. Alterum hunc dispensatorem sani propositi decet, qui semper accepisse se palam dixerit, & statim cum datus sit in tormenta, hoc sibi proposuerat, Quid? ego quo premio mentiar? confessum esse. Et hoc in locis valens est, Tuus dispensator accepisse se ait, meus dedisse negat: hujus potentior vox est, potest enim etiam per alium numerata videri pecunia. Initio autem dicet hic sibi placuisse servum: & ideo supra rationes esse positum, sed postea & licentia sua & securitate domini qui illi plurimum crediderit, isse in vitia à multis corruptum, antequam ab hoc: & ideo se deposuisse. Hanc sibi deponendi fuisse causam, cum videret in malo statu rationes esse. Hoc necesse est adjicere, quia urgetur per interrogationem, quam causam deponendi habuerit. Inficiator dicat oportet, dispensatorem suum finem tormentorum quasisse: ideo confessum ut dimitteretur.

CCCLIV.